

119. Igitur omnes istæ circumstantiæ, & si quæ aliæ hujusmodi inveniantur in homicidio, debent expresse fateri in confessione. Unde cum assassinatus afferat saltem circumstantiam scandali, explicari etiam debet. Verum reliquæ circumstantiæ mere physice distinctæ, ut si fuit pugno, ferro, lapide, aut fuste, & similes impertinentes sunt ad confessionem.

PUNCTUM XIV.

De taurorum agitatione.

120. Inq. 1. An taurorum agitatio, prout in Hispania exercetur, jure naturali sit prohibita? R. neg. quia eo modo, quo in Hispania exercetur, raro evenit mors hominis propter sufficientem cautelam, quæ adhibetur pro ea vitanda; & si aliquando evenit, est per accidens; ergo non est intrinsece mala, nec jure naturali prohibita. Quod plene probat agitatio taurorum sæpe habita in ipsa urbe Romana annis nuper præteritis, invitatis ad eam lussoribus Hispanis, qui Romæ aderant. Verum si aliquis non dexteritate, & agilitate Hispanica polens, aut sciolus, vel nimis audax tauris se objiciat, peccabit graviter; quia evidenti periculo mortis se exponit.

121. Inq. 2. an jure ecclesiastico sit prohibita taurorum agitatio? R. quod est Pius V. sub gravibus poenis taurorum agitationem prohibuerit, tamen Gregor. XIII. & Clemens VIII. eam pro sæcularibus permiserunt, sublatis poenis, & sub duplici conditione; nempe, ne fiat in die festo, & provideatur per eos, ad quos spectat, ne alicujus mors sequatur, unde servata hac duplici conditione licita est in Hispania taurorum agitatio sæcularibus. Clericis autem, licet prohibetur agitatio, permittitur assistentia. Eos tamen S. Pontifex hortatur, ut a simili spectaculo abstineant, memores dig-

nitatis, & officii, quo funguntur, ne aliquid ab eo alienum exequantur.

122. Inq. 3. an peccent graviter regulares, qui taurorum agitationi assistunt? R. affirmative: quia agunt contra præceptum absolute eis impositum in materia gravi. Non comprehenduntur in hac prohibitionem Equites ordinum Militarium, qui vere religiosi non sint: quia Clem. VIII. a prohibitionem eos exceptit. Excommunicatio regularibus præfatæ agitationi assistentibus imposita probabilis non est lata, sed ferenda.

123. Inq. 4. An regularibus sit prohibita assistentia ad vitulorum agitationem? R. neg. quia prohibitio tantum est de congressu cum tauris, aut de eorum agitatione: sed vituli nomine taurorum non intelliguntur: sicut nec pueri nomine senum, aut agni nomine arietum: nam juxta varietatem ætatis variatur nomen ei respondens: ergo non est prohibita ejusmodi assistentia. Maxime quia in hac agitatione est valde remotum periculum de morte alicujus. Nec similiter peccant graviter regulares e fenestris propriæ domus, aut transeunt ex alio loco tauros agitari videntes: quia hoc non est assistere eorum agitationi. Peccant tamen si ex aliqua circi fenestra, esto per cancellos, aut occulte, etiam secluso omni periculo mortis assisterent: quia prohibitio est absoluta, & absolute debet observari.

124. Inq. 5. An extra Hispaniam sit licita taurorum agitatio? R. neg. tum, quia moderatio, & permissio Gregorii XIII. & Clementis VIII. solum est pro sæcularibus, & clericis, qui in Regnis Hispaniarum commorantur: ergo extra illa servanda est Constitutio Pii V. prohibens penitus taurorum agitationem. Tum quia exteri, vel quia natura graves, vel in agitatione inexpertes, agilitate, & dexteritate Hispanica carent: ergo maximo mortis periculo se exponerent.

TRACTATUS DECIMUS SEPTIMUS

DE SEXTO, ET NONO DECALOGI PRÆCEPTO.

Aggredimur sextum, & nonum Decalogi præceptum explanandum, optantes puro calamo res non puras discutere; sequentes D. Thomam, qui licet puritate Angelus, hæc ad communem utilitatem disputare non omisit. 2. 2. q. 153. & 154. & alibi.

CAPUT I.

De castitate.

Prior locus debetur virtuti, quam vitio; ideo prius volumus agere de castitate; deinde acturi de vitii ei oppositis, & in sexto præcepto prohibitis.

PUNCTUM I.

Notio, & divisio castitatis.

1. Inq. 1. Quid in sexto Decalogi præcepto prohibetur? R. expresse solum adulterium prohibetur juxta illud Exodus 20. 15. Non machaberis, quod clarius explicatur in cap. 5. 20. Deuter. Non concupisces uxorem proximi tui. Machia enim est vox græca, quæ proprie adulterium sonat. Implicite vero prohibetur omnis delectatio carnalis, omnis species luxuriæ, omnisque actus internus, & externus extra matrimonium habitus. Præcipitur ergo nobis in sexto Decalogi præcepto, quod simus casti, & mundi cogitatione, verbo, & opere. Prohibetur autem expresse adulterium, quia alia, quæ inferuntur in personam conjunctam, & maxime per modum libidinis, intelliguntur prohiberi simul cum adulterio, ait D. Thom. 2. 2. q. 122. art. 6. ad 2.

2. Inq. 2. Quid sit castitas? R. Castitas, quæ a castigando dicitur, potest sumi, vel improprie, vel proprie. Castitas improprie, vel lato modo significat puritatem animi ab omni amore inordinato, & ab omni labe peccati: in quo

Tom. I.

sensu dixit Apostolus 2. ad Corinth. cap. 11. Respondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Id est nullo peccato inquinatam. Hæc dicitur castitas spiritualis.

3. Castitas autem proprie sumpta est virtus moralis, quæ moderatur voluptates carnis. Dividitur in virginalem, conjugalem, & vidualem. Virginialis est, quæ cohibet omnem voluptatem, etiam licitam carnis. Conjugalis est, quæ moderatur voluptates illicitas carnis. Vidualis, quæ moderatur voluptates carnis post mortem alterius conjugis, vel post licitam, aut illicitam copulam. Quicumque enim virginitatem licite, vel illicite amisit, solum potest habere castitatem vidualem proprie, aut large sumptam. Divisio hæc castitatis non est generis in species, sed ejusdem virtutis in diversos gradus: quia castitas conjugalis, & vidualis non addunt speciem, seu perfectionem specificam ad castitatem communem, quæ proinde specificè solum differt a virginali, & hæc dicitur castitas perfecta, illa vero imperfecta.

4. Inq. 3. Quid sit virginitas? R. est integritas carnis cum proposito eam conservandi perpetuo à carnali libidine expertem. Tria in virginitateveniuntur. Primum, integritas signaculi virginalis, a qua integritate appellatur virginitas, tamquam virens, dictum a virore adustionem libidinis minime experto. Secundum, immunitas a delectatione, quæ consistit in seminis resolutione. Tertium, propositum perpetuo abstinendi ab omni carnali delectatione. Primum se habet per accidens, secundum de materiali, tertium autem pro formali. Ex quibus bonitas diffinitionis traditæ apparet: nam virginitas duo necessario exigit, nempe carnis integritatem ut materiam, & propositum perpetuum ut formam, sed hæc duo in prædicta definitione explicantur, ergo recta est.

5. Nota autem, quod triplex potest

Tzzz

da-

dari virginitas, seu quod virgines sunt in triplici differentia. Nam aliqua solum mente sunt virgines, ut quæ per vim absque ullo earum consensu violantur. Aliæ sunt sola carne, ut quæ, licet integritatem retineant, habent tamen intentionem nubendi, & dicuntur communiter virgines, quæ habent propositum servandi virginitatem, nisi matrimonio jungantur: & est quidem velut status castitatis distinctus a conjugali, & vidualli. Aliæ denique sunt virgines mente, & carne: ut quæ integritatem conservant, & firmum habent propositum sic per totam vitam permanendi: & istæ sunt virgines cum omni proprietate.

6. Inq. 4. An virginitas consistens in mentis, & carnis integritate sit vera virtus a castitate distincta? R. affirm. quia virginitas est habitus bonus inclinans ad se abstinendum ab omni venerea delectatione secundum rectam rationem; sed talis habitus est virtus, ergo virginitas consistens in mentis, & carnis integritate est vera virtus.

7. Objic. 1. Carnis integritas est nobis a natura, quilibet enim nascitur virgo: sed nulla virtus est nobis a natura: ergo virginitas non est virtus. R. quod duplex datur virginitas, alia *naturalis*, alia *moralis*. Prima consistens in mera integritate naturali est nobis a natura, non vero est virtus. Secunda addens integritati naturali propositum eam perpetuo conservandi, non est a natura, sed vera virtus, consistens in recta voluntate abstinendi ab omni carnis corruptione.

8. Objic. 2. Virtutes restaurantur per poenitentiam; sed virginitas nequit per poenitentiam restaurari: ergo non est virtus. R. quod per poenitentiam restaurantur virtutes pro *formali*; non vero pro *materiali*. Virginitas autem pro formali consistit in proposito voluntatis, quod per poenitentiam restaurari valet; pro materiali in carnis integritate, quæ nunquam restaurari potest. Sicut absumens suas facultates, non eas restaurat per poenitentiam; esto possit restaurare virtutem magnificentiæ, quam amisit in eorum prodiga elargitione: quia facultates sunt materia magnificentiæ, sicut integritas est materia virginitatis.

PUNCTUM II.

Alia dubia circa virginitatem.

9. Inq. 1. An requiratur votum, ut virginitas sit vera virtus a castitate distincta? R. sufficere propositum eam perpetuo conservandi: quia eo ipso habet, quidquid requiritur ad rationem virtutis distinctæ a castitate: habet enim objectum distinctum, nempe integritatem carnis perpetuo conservandam; alias virginitas non esset virtus distincta, nisi ratione religionis sibi adjunctæ per votum. Unde dixit D. Thom. in 4. dist. 33. q. 3. art. 2. ad 4. *Completa ratio virginitatis non est nisi in illis, qui habent electionem conservandi integritatem hactenus custoditam, usque in finem, sive sine voto, vel cum voto.* Quando autem dicit, quod, ut virginitas sit virtus, requiritur, quod vocetur Deo, intelligendus est, quod offeratur Deo: ad differentiam virginum vestalium, quæ si virginitatem conservabant, eam *Doemoni*, aut vanitati dicabant.

10. Inq. 2. An status virginitatis sit excellentior statu matrimonii? R. affirm. ita proclamant sacra eloquia, omnesque sancti patres, & doctores catholici, qui unanimiter virginitatem laudant, plaudunt, & prædicant, extollentes eam supra matrimonium: asserentesque, quod sicut cælum excellit terram, & Angeli homines, ita virginitas matrimonium; missis vero pro brevitate eorum laudibus.

11. Prob. ratione: nam in primis virginitas est bonum divinum, & cæleste assimilans homines Deo, & Angelis; deinde est bonum animæ; cogitat enim virgo, quæ Dei sunt; contra vero matrimonium est bonum naturæ, & corporale ordinatum ad bonum corporis, nimirum ad propagationem, & conservationem naturæ: deinde inducit ad cogitandum, quæ mundi sunt; sed bonum divinum, cæleste, & spirituale præstat bono naturali, & corporali; ergo virginitas excellentior est matrimonio.

12. *Confirmatur*, quia nulla est, nec fuit tam barbara natio, quæ virgines in admiratione non habuerit, & ejus observatores, ut homines divinos, atque ce-

les.

lestes non veneretur, ut constat de Romanis, Sinensibus, Japoniis, Indiis, & aliis Ethnicis: igitur omnes lumine naturali agnoscent virginitatem esse quid Angelicum, & cæleste, longèque conjugium in perfectione, & excellentia superare. Quod tanquam dogma fidei ab omnibus catholicis asseritur, & defenditur. Solum hæretici in schola carnis, & sanguinis edocti oppositum propugnant. Primus id asseruit Jovinianus, quem confutavit egregie D. Hieronymus. De illo dicit egregie D. Thom. 2. 2. q. 186. a. 4. *Sicut damnatus est Vigilantius, qui adæquavit divitias paupertati, ita damnatus est Jovinianus, qui adæquavit matrimonium virginitati.* Ex modernis vero Asmodæi fidelior discipulus fuit Lutherus. Sed non mirum; habuit enim Dæmonem paredrum, sive assessorem, cujus ope, & doctrina extraxit e monasterio Catharinam de Bore monialem professam, cum qua contraxit, non quidem legitimum, sed vere Satanicum matrimonium. En portentosus doctor, & magister primitius Ecclesiæ Anglicanæ! quæ ab hoc Priapo decepta a via veritatis misere aberrat. De Priapo meminit Angel. 1. 2. q. 102. a. 4. ad 7.

13. Objic. Status matrimonii juberet a Deo Genes. 1. 18. ergo præferri debet virginitati. R. 1. neg. conseq. nam si per illa verba imponitur præceptum, datum fuit multitudini hominum, non singulis hominibus; alias illud violassent Elias, Eliseus, Joannes Baptista, & dilectus Evangelista: quod non concedent vel ipsi hæretici. R. 2. Valde probabile esse prædictis verbis non imponi præceptum, sed approbari matrimonium: nam eisdem verbis benedixit Deus piscibus, qui incapaces sunt præcepti, ut patet *ibi vers. 22.* Alias argutationes hæreticorum missas facimus, quia plus nituntur pravitati appetitus, & voluntatis, quam difficultati rationis, & intellectus. Plures eorum satis agnoscent veritatem, sed nolunt ei acquiescere, ut liberius suis valeant appetitionibus vacare. Quotidie precamur Deum pro eorum conversione. At licet vivant, ut velint, doceant, ut debent. Non abutantur sacra pagina ad suas libidines explendas, & incautos decipiendos. Virginitas igitur est nota illus-

tris veræ religionis, & Ecclesiæ, quæ extorris est ab hæreticis carni, & sanguini deditis. Nam ut dicebat Thomas Moro insignis Martyr sub impuro Rege Angliæ Henrico VIII. *libido est hæresos mater, æque ac filia.*

14. Inq. 3. An virginitas virtus inveniat in viro æque ac foemina? R. affirm. quia virtus virginitatis communis est utrique sexui, quamvis aliquid se habeat de materiali, nimirum claustrum virginale, non reperitur in viro; quidquid tamen ad virginitatis virtutem requiritur, nempe incorruptio mentis, & corporis cum proposito eam perpetuo conservandi, æque reperitur in viro, ac in foemina: ergo, etiam virtus virginitatis. Unde viri virgines gaudebunt laureola virginitatis, æque ac virgines foeminae.

15. Nota, quod licet aureola virginitatis detur pro victoria obtenta in periculosa pugna carnis; valet tamen haberi sine tali pugna ex privilegio speciali, si caro absque illa perfectissime spiritui subjiciatur, ut de beatissima Dei genitricis pro certo habemus, & de sancta Theresia matre nostra pie credimus, ac altiori titulo de S. Joseph, de quo plures asserunt fuisse privilegium a pugna, & fomite carnis, ut esset purissimus custos thesauri virginitatis.

16. Objic. Vir non est capax stupri, seu illud patiendi: ergo nec aureolæ virginitatis, quæ opponitur stupro. R. neg. conseq. quia aureola virginitatis non opponitur præcise stupro, sed cuicumque amissioni etiam licitæ virginitatis, ut patet in pluribus, qui operi conjugali licite vacant. Igitur non omnis capax aureolæ virginitatis, est capax stupri; quomodocumque enim quis abstineat perpetuo ab omni contagione venerea propter Deum, capax est aureolæ virginum, illaque coronabitur in caelo. An autem plures ex foeminis, quam ex viris erunt in Coelo Virgines, scientiæ Dei reservatum est. Sed pie loquendo per quasdam conjecturas putamus plures foeminas futuras esse, quam viros: tum quia facilius deperditur virginitas in viro, quam in foemina, licet citius in foemina, quam in viro perdi valeat, quia pubertas prius eis advenit. Tum quia foeminae sunt

na-

Tract. XVII. De sexto,
naturaliter magis verecunda, honesta,
occlusæ, & a matribus custoditæ, ita
ut vix solæ in publicum egrediantur. Con-
trariarum autem accidit viris, qui in flo-
re adolescentiæ libere exeunt ad scho-
las, studia, commercia, & alia negotia,
& ministeria: qua ratione etiam vide-
tur nobis plures foeminas esse salvandas,
quam viros; ipsæ enim vacant ab om-
nibus officiis publicis, a militia, & aliis
ministeriis, quæ viris sunt occasiones
peccandi, & se perdendi.

P У Н К Т У М III.

De amissione virginittatis.

17. Inq. 1. Quot modis amittatur vir-
tus virginittatis irreparabiliter? R. in foe-
mina amitti per voluntariam claustrî vir-
ginalis violationem, sive fiat copula, si-
ve tactibus propriis, vel alienis, semel
quod sint libidinosi. Ita D. Thom. 2. 2.
q. 152. art. 1. ad 4. quia hæc violatio
est, quæ reparari non valet, licet cæte-
ra per veram poenitentiam reparari pos-
sint. Alii ajunt amitti etiam per volun-
tariam seminis resolutionem, licet absit
ruptio claustrî virginæ, eo quod jam ad-
est experientia veneræ delectationis. Ve-
rum si dicta resolutio accidat sine ulla
culpa, sive in somnis, sive in vigilia ni-
hil officit virginittati, nec naturali, nec
virtuosæ. Hoc est certum, primum vero
non adeo compertum; quia foemina quan-
diu conservat signaculum pudoris, nequit
dici corrupta, sed integra integritate cor-
porali, & naturali, a qua potissimum ap-
pellatur virgo.

18. In viro amittitur virginittas per vo-
luntariam seminis resolutionem, quia hæc
est in viro consummata libido, & alias ca-
ret signaculo virginittatis, quo gaudet fe-
mina.

19. Objic. Vir, aut foemina, qui ha-
buerunt copulam, licet absit ruptio cla-
ustrî virginæ in ista, & pollutio in il-
lo, experti sunt libidinem: erg. non sunt
virgines. R. neg. conseq. quia in dicto
casu habuerunt quidem tactus impudicos,
sed non tales, ut per eos amittatur irre-
parabiliter virginittas.

20. Dices: erg. Idem tenendum est
de illis, licet coitui sodomitico vacent.

Cap. II. De vitiiis castitati oppositis.

R. conc. conseq. quia nec in illo casu
adest aliquid, quod per veram poeniten-
tiam nequeat reparari, supposito, quod
absit pollutio in viro, & violatio clau-
strî virginæ in foemina. Virgo vi oppres-
sa non amittit virtutem virginittatis: nec
vir, qui involuntarie pollutionem patit-
tur.

21. Unde talis virgo potest accipere
velum virginittatis olim frequentius usita-
tum, dummodo sit occulta violatio vere
involuntaria. Si autem voluntarie, esto
occulte corrupta sit, nequit accipere vel-
lum sacrum absque dispensatione. Nec
absque ea decet, quod gaudeat Præla-
tura in cænobio virginum, licet si bona
fide eligatur, non teneatur proderere sum-
mum defectum.

22. Inq. 2. Qualiter amittatur virtus
virginittatis reparabiliter? R. 1. amitti
per intentionem nubendi. 2. per consen-
sum in actum turpem. 3. per delectatio-
nem morosam. 4. per tactus turpes sine
seminatione, & copula. 5. omnibus mo-
dis, quibus amittitur castitas absque dic-
ta seminatione, & copula juxta supra
stabilita: quia in præfatis casibus con-
servatur illæsa integritas corporis, nec
adest libido consummata: & solum viola-
tur propositum virginittatis, quod per pe-
nitentiam valet reparari.

C A P U T II.

De vitiiis castitati oppositis.

P У Н К Т У М I.

De luxuria.

23. Inq. 1. Quid est luxuria? R. est
usus, vel appetitus inordinatus venereo-
rum. Quamvis enim nomen luxuriæ pro
qualibet superfluitate, & excessu intelli-
gi possit, usu tamen communi pro li-
bidine, & vitio venereo accipitur. Dici-
tur usus, vel appetitus inordinatus, quia
si venerea exercentur juxta ordinem ra-
tionis, licita sunt, sicut usus ciborum
inordinatus est malus, bonus vero secun-
dum rationis ordinem, ut conducit ad vi-
tæ conservationem, ita usus venereorum
ordinatus in matrimonio est bonus, &
conducit ad speciei conservationem.

Cap. II. De vitiiis castitati oppositis.

24. Inq. 2. Quale sit peccatum luxu-
riæ? R. esse peccatum mortale ex gene-
re suo, & in tota sua latitudine non ad-
mittens parvitatem materiæ. Primum pro-
batur ex Apost. ad Galatas 5. *Qui talia
agunt, regnum Dei non possidebunt.* Prob.
etiam ratione: quia usus venereorum ordi-
natur a natura ad propagationem ge-
neris humani: erg. inversio hujus ordi-
nis ex genere suo est gravis, cum op-
ponatur bono communi. Quod peccatum
luxuriæ parvitatem materiæ non admit-
tat, constat ex dicendis. Vitium istud
adeo amplam exercet tyrannidem in mun-
do, ut olim provocaverit iram Dei ad
illud puniendum diluvio universali aqua;
deinde peculiari ignis supra Pentapolim;
denique juxta S. Remigium *propter hoc
vitium, exceptis parvulis, pauci salvoan-
tur.* Omni igitur cura fugiendum est.

25. Inq. 3. An luxuria sit vitium ca-
pitale, & quot habeat filias? R. affirm.
quia, ut diximus, vitium capitale est
illud, a quo tamquam a capite alia ori-
untur: sed hujusmodi est luxuria: imo
facile princeps inter omnia vitia capita-
lia propter plurima peccata ab ea pro-
manantia; ergo est vitium capitale. Oc-
to filiae numerantur luxuriæ: *cacitas
mentis, inconsideratio, præcipitatio, in-
constantia, amor sui, odium Dei, affectus
præsentis sæculi, & horror futuri.*
Ex quibus quatuor priora lædunt intel-
lectum, posteriora voluntatem. Luxuria
namque non solum deordinat volunta-
tem, sed etiam obtenebrat intellectum:
unde causat *cacitatem mentis* in intelli-
gentia ad veram apprehensionem finis,
seu boni, *cacitatem* in consilio, *præci-
pitationem* in iudicio, & *inconstantiam*
in proposito, seu in rationis præcepto.
Ex quo huic vitio inservientes videmus,
atque conspiciamus cæcos in consiliis; præ-
cipites, inconsideratos, inconstantesque
in omni bono. Perturbat etiam volunta-
tem, ejusque actus, destruent *intentionem
finis* amore sui: unde gignit *odium
Dei*, qui voluptates carnis prohibet. De-
inde invertit electionem, inserens *amo-
rem præsentis sæculi*, ex quo oritur *hor-
ror futuri.* Ita D. Thom. 2. 2. q. 153.
art. 5.

26. Præter octo enumeratas luxuriæ
filias, alias quatuor externas assignat An-
Tom. I.

Cap. II. De vitiiis castitati oppositis.

gel. D. *turpiloquium, scurrilia, lubri-
ca, & stultiloquia.* Quia lingua luxurio-
si in primis ex abundantia cordis loqui-
tur *turpia*: deinde in verba, aut facta
levia, seu *scurrilia* prorumpit: exia-
de in omnibus voluptatem quærens ver-
ba *lubrica* sæpe pronuntiat: tandem cum
mens ex libidine obcæcata in sententias
exiliat, inde *stultiloquium* effundit.

27. Inq. 4. Quot sint species luxuriæ?
R. esse septem, *fornicatio simplex, ad-
ulterium, incestus, stuprum, raptus, vi-
tium contra naturam, & sacrilegium.*
Aliæ possunt dari species luxuriæ secun-
dam quid, & ab extrinseco: ut si ex
solo motivo delectationis cognoscat con-
jugatus uxorem, & similes, quæ plerum-
que sunt veniales. Enumeratæ vero sunt
simpliciter species luxuriæ constituentes
ex se peccatum mortale; quia graviter,
& peculiari modo rationi opponuntur.

28. Inq. 5. An omnes præfatæ species
distinguantur essentialiter intra genus lu-
xuriæ? R. neg. Nam solum fornicatio
simplex, pollutio, sodomia, & bestia-
litas sunt species intra genus luxuriæ di-
stinctæ essentialiter; reliquæ vero, nempe
adulterium, incestus, stuprum, &
raptus accidentaliter: quia addunt spe-
ciem accidentalem contra justitiam, pie-
tatem, aut religionem. Quæstio hæc sa-
tis prolixè discutitur ab aliis; sed reve-
ra plus ad scholasticos, quam ad mo-
res pertinet: sufficit his scire adul-
terium, incestum, raptum, & sacrile-
gium duplicem habere malitiæ speciem,
sive essentialem, sive accidentalem in
confessione aperiendam Vid. D. Thom.
2. 2. q. 153. a. 6. 7. 8. &c.

P У Н К Т У М II.

De simplici fornicatione.

29. Inq. 1. Quid sit fornicatio simplex?
R. est *concupitus humanus naturalis solu-
ti cum soluta.* Dicitur *concupitus huma-
nus*, ut distinguatur a concubitu irra-
tionalium, qui fornicatio dici non va-
let: additur *naturalis*, ut differat a pec-
catis contra naturam. Denique ponitur *so-
luti cum soluta* ad significandum, quod
uterque debet esse liber a vinculo matri-
monii, & alterius cujusque circumstan-
Aaaaa tia